

Hanc ita nobis gratulemini felicitatem, ut aliis omnibus non in-
videatis, sed potiùs uberio rem precemini, utq; nos unà cum illis,
vià licèt dispari & gressibus tardioribus, ad eandem tamen me-
tam perveniamus.

Itaq; prout jam *anni tempus* est de *Junio mense* quædam
dicturi sunt Vestri *juniores*, Mæcenates faventissimi, cujus appella-
tionem religionum Romanarum expositor *Ovidius* artificio-
sissimè conjecit, ut, dum *triplicem* denominationem adducit,
nulli tamen earum, iudicio Paridis fatali deterritus, primas de-
tulisse videri velit. Apud eum (*lib. VI. Fastor.*) *Juno*, quam vel à
juvando, vel quòd *januam* aperiret uteri, ut *Lucina* fieret, dix-
erunt, mensem hunc sibi vendicat

Junius à nostro nomine nomen habet,

An facient mensem *lucæ*, *Lucinaq;* ab illis

dicar, & à nullo nomina mense traham?

Sed paret à *juvenibus* dictum esse *Romulo*, cui non obscure
favet idem Poëta - - - populum digessit ab annis

Romulus, in *partes* distribuitq; *duas*:

Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est,

hæc ætas bellum suadet, at illa gerat.

Sic statuit, mensesq; notâ secrevit eadem,

Junius est *juvenum*, qui fuit antè, *senum*,

quod explicatiùs posuit *Isidorus* (*lib. V. Origg. c. 33.*) Majum majoribus,
Junium junioribus Romani consecraverunt. Sed quid
multis de voce pugnabimus, si in ceteris quidem convenerimus,
scientes, quòd, quemadmodum in templo *Concordiæ* fuit nidus
eiconiarum, ita in fanò *Monetæ* fuerit examen *vesparum*. Vos Va-
lete, mecumq; precamini ex *Ambrosio*, ut *juniores* nostri in primo
flore *juventutis* suæ habeant *senilem intellectum*. Ita fiat!

*) * * *)